



**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Universus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Dispvt. XXVI. De potentiali Obedientiâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

quam calida : quod tamen est contra omnem experientiam.

VIII.
Ignis licet
ad intra
producat
calorem,
non tamen
ad extra.

Obij. potest substantia producere intra se calorem, vel frigus, ergo & in extraneo subiecto. Nego consequentiam : sicut enim non valet, calor producit calorem, ergo albedo albedinem, quia sc. est experientia in contrarium, ita nec hæc consequentia valet, substantia inter se producit accidens, ergo illud etiam producet in extraneo subiecto : sicut nec valet, ut supra adverti, accidens solum producit accidens, ergo substantia substantiam, quia sc. omnes experientiae videntur innuere contrarium, imò potius innuunt à solis accidentibus produci substantias, quam

sine illorum concursu. Deinde nix, lac, cygnus &c. producant intra se albedinem, & cornus nigredinem, non tamen extra se, ut constat.

Dico secundò : accidens solum producere potest aliud accidens. Probatur primò in albedine, & omni colore producente speciem visibilem sui, & in quocunque subiecto sint, æquè producant has species, imò etiam separata ab omni subiecto, ut constat in speciebus Sacramentalibus. Secundò, calor in aqua calefacta producit calorem in manu illi inserta, quod idem præstat frigus, & reliqua accidentia specierum panis & vini in sanctissimo Sacramento.

IX.
Accidens
solum potest
producere
accidens.

DISPUTATIO XXVI.

De potentia Obedientiali.

Philosophia
Christiana.

Um Philosophiam, non profanam, & ethnicam, sed Christianam, & Theologiæ subervientem doceamus, dum de causis agimus, quaestio hæc, quæ ad gravissimas in Theologiâ difficultates enodandas maximè conducit, non est omit-tenda, quam tamen quâ potero brevitate expediam.

SECTIO PRIMA.

Quid sit potentia obediencialis.

I.
Plurimi hæc
in re sunt
dicendi mo-
di.

INfinitus essem si omnes hac in re dicendi modos recenserem, resque foret & confusionis, & tædij plenissima. Præcipua ergo tantum nonnullorum placita referam, deinde quid in hac quaestione tenendum sit, aperiam.

II.
1. Sent. ait
potentiam
obed. esse
non-repu-
gnantiam
ad obedi-
dū creatori.

Zumel citatus à P. Hurt. d. 9. Ph. l. 14. subsec. 3. §. 199. docet potentiam obediencialem esse non-repugnantiam creaturæ ad obediendum creatori. Sed si intelligat hæc sententia non-repugnantiam formalem, seu veram negationem, aperte refellitur, nam sicut omnis potentia, ita & obediencialis est vera virtus, & aptitudo aliquid recipiendi vel efficiendi, sed negatio nihil in se vel efficere potest vel recipere, ut constat, omnis enim effectio realis & physica est à potentia aliqua reali, sicut & quicquid reale recipitur, in subiecto reali recipiatur necesse est. Fortè ergo per non-repugnantiam intelligit Zumel non-repugnantiam solum radicalem, seu entitatem fundantem non-repugnantiam formalem, & negationem illam, tunc autem verum habere potest ipsius opinio, ut videbimus.

III.
2. Sent. do-
cet eam con-
sistere in
qualitate
superaddi-
tâ.

Thomistæ communiter affirmant potentiam obediencialem consistere in qualitate quadam animæ infusâ, per quam efficit, & recipit effectus supernaturales. Sed contrà primò, anima Christi non recipit unionem Hypostaticam mediâ ullâ huiusmodi qualitate superadditâ. Contrà secundò, & præcipuè, anima recipit immediatè hanc qualitatem sine ope alterius, sed hæc qualitas est supernaturalis, ergo dicendum vel potentiam obediencialem non consistere in huiusmodi qualitate superadditâ, vel dari processum in infinitum : si enim anima ad recipiendam gratiam, quia supernaturalis qualitas est, eget qualitate supernaturali superadditâ, egebit etiam aliâ ad qualitatem hanc recipiendam, cum etiam sit supernaturalis, & sic in infinitum.

IV.

Ut ergo explicetur quid sit potentia obediencialis, notandum, potentiam propriè dictam duplicem esse, activam, quæ est vis aliquid agendi, & passivam,

quæ est virtus, seu aptitudo aliquid recipiendi, vel etiam sustentandi. Utraque hæc potentia tam activa, quam passiva est etiam duplex : naturalis & supernaturalis : activa naturalis dicitur in ordine ad illos effectus quos producere res aliqua potest cum concursu generali Dei, sibi juxta communem rerum ordinem ac dispositionem debito, simul cum iis principijs, quæ juxta naturæ leges adjungi possunt, ad illos nimirum effectus, ad quos res dicit proportionem naturalem. Ex.g. intellectus creatus vim habet naturalem cognoscendi Deum abstractivè, per actum scilicet abstractivum in entitate naturalem, quia nimirum ex suis viribus, & virtute naturali conjungi potest cum omnibus comprincipijs ad hoc requisitis. Unde similiter potentia passiva naturalis est in ordine ad formas sibi proportionatas, seu quas juxta communem cursum rerum potest recipere. Potentia activa supernaturalis, seu obediencialis est potentia in ordine ad effectus illos quos ex viribus propriis, & secundum communes naturæ leges nequit efficere : sicut & passiva supernaturalis est in ordine ad formas illas, quas ex natura sua recipere non potest.

Dicitur autem supernaturalis potentia vel quoad substantiam, quando sc. effectus vel forma est quoad substantiam supernaturalis, ut gratia : vel quoad modum, ut restitutio visus : vel quoad utrumque, ut si Deus Angelum in duobus locis statueret per alteram vel utramque ubicationem supernaturalem : & totidem modis dicitur etiam potentia aliqua naturalis.

Est autem hæc obediencialis potentia substantialis vel accidentalis, naturalis vel supernaturalis entitativè, & materialiter, prout fuerit entitas quæ elevatur ad operandum, substantia, vel accidens, supernaturalis, vel naturalis : ut si Angelus vel gratia elevetur ad creandum alterum Angelum. Unde si albedo elevaretur ad producendum ignem, vel gratiam, operaretur ut naturalis, vel accidentalis potentia, si ly ut appellet supra entitatem meram rei producentis, non verò si appellet supra concursum, cum concursus ille sit supernaturalis, & albedini indebitus. Vocatur verò potentia obediencialis quia in operando non tam procedit secundum statutas naturæ leges, quam secundum Imperium Dei, cui res quæ vis in omnibus, ubi non involvitur contradictio, obedit.

Est itaque potentia obediencialis formaliter ipsa entitas rei, quæ elevatur, connotans extraordinarium concursum Dei, volentis cum ipsâ concurrere ad opus aliquod supra naturales illius vires, & exigentiâ. li.

VII.
Declaratur
potentia
obediencialis
tam

tam rei illius, quam principiorum, quibus secundum communem usum rerum conjungi potest ad operandum. Connotatio vero hæc nihil aliud est quam voluntas Divina conjuncta extrinsecè cum potentia naturali ad actum aliquem supernaturalem, & ipsi indebitum, seu quem ex natura sua non exigit nec producere potest, cum vel quoad substantiam, vel quoad modum non habeat cum illo effectum proportionem. In quo differt à potentia merè naturali, quæ licet sine voluntate Dei nihil possit, exigit tamen illam sibi, ut causa naturalis est, connaturaliter debita. Unde potentia obedientialis rei quæ elevatur, est partim intrinseca, partim extrinseca.

VIII. Potentia obedientialis passiva. Non tamen ita voluntas Dei constituit potentiam obedientialem passivam, ut ipsa voluntas partialiter recipiat formam, sed quia efficit ut recipiatur in subiecto, seu in potentia creatâ, aliquid scilicet supernaturale producendo. Voluntas tamen Dei aut habitus supernaturalis constituit partialiter potentiam obedientialem activam, ut principium simul eum ea coëfficiens, & partialiter produciens effectum.

IX. Potentia obedientialis activa. Dices, hinc sequi potentiam obedientialem esse naturalem, cum sit rei cujusque naturalis entitas. Resp. multum hic esse de nomine, de re enim certum est res naturales ad effectus varios elevari, quos solis naturæ viribus efficere non possunt, ut cum anima elevatur ad actum visionis Dei eliciendum, humanitas Christi ad unionem Hypostaticam, &c. Dico itaque potentiam obedientialem rei naturalis esse quoad rectum naturalem, virtutem scilicet ipsam & entitatem rei aptam elevari, in obliquo vero esse supernaturalem, voluntatem scilicet Dei creaturæ indebitam.

X. Potentia hæc obedientialis triplex est: activa, ut si musica elevaretur ad creandum Angelum: & passiva, quæ etiam est duplex, receptiva, ut si Angelus vel anima elevaretur ad recipiendam gratiam productam per actionem creaturæ, & sustentativa, quæ scilicet de facto anima influit in gratiam, & actus supernaturales, eosque sustentat. Tertia est potentia obedientialis terminativa, ut cum accidens creatur.

XI. Solum noto, latius patere potentiam obedientialem activam, quam passivam: esto enim elevari possit Angelus ad producendum alium Angelum, aut materiam primam, non tamen potest elevari ad alium Angelum vel materiam recipiendam, cum omnis aptitudo ad recipiendum, incompletionem in eâ ratione dicat in qua debet aliud recipere, & ab eo informati.

SECTIO II.

Utrum in anima & Angelo deus potentia obedientialis.

I. Dicendum, in anima rationali & Angelo recipiri potentiam obedientialem activam, & passivam ad varios effectus supernaturales. Ita Bellar. l. 6. de Gra. & lib. arb. Suar. Tom. I. in 3. p. d. 31. Mol. I. p. q. 12. ar. 5. d. 2. Vasq. I. p. d. 43. c. 4. num. 1. & 12. Val. I. p. d. 1. q. 12. Hurt. hic d. 9. s. 14. Arria. hic d. 11. s. 4. Ovid. hic c. 9. p. 6. & alij.

II. Probatur primò: anima rationalis recipit in se varios effectus supernaturales, ad quos, ex suis viribus & naturâ, nullam dicit proportionem, ut sunt unio Hypostatica, gratia habitualis, habitus supernaturales Fidei, Spei, Charitatis, & omnium virtutum. Quod verò unio Hypostatica recipiatur immediate in substantiâ animæ, & non medio aliquo accidente supernaturali, constat, nam alioqui faceret unum per accidens, & non per se cum humanitate R. P. Th. Compioni Philosophia.

& verbò: deinde, ut supra arguebâ, daretur processus in infinitum, cum ad hoc accidens supernaturale recipiendum requireretur aliud, & ad illud aliud, & sic in infinitum.

Secundò probatur conclusio de potentia obedientiali activâ animæ & Angeli: anima producit varios actus intellectus & voluntatis, ad quos ex natura sua est omnino improporcionata, ergo non potest hos elicere per virtutem omnino naturalem, sed ut est elevata per auxilium aliquod supernaturale. Antecedens constat in actibus supernaturalibus Fidei, Spei, Charitatis, & aliarum virtutum, ergo ad hujusmodi actus habet anima obedientialem potentiam activam.

Dices, animam aut potentias, intellectum scilicet aut voluntatem, non concurrere immediate ad actus illos supernaturales, sed eos produci immediate à solis habitibus supernaturalibus Fidei, Spei, Charitatis &c. Contrâ primò, ergo non alio modo producit intellectus & voluntas actus supernaturales, quam aqua calorem in manu, nempe solum denominativè, vel potius non omnino, quia aqua calida non omnino concurret per se ad calorem in manu producendum. Contrâ secundò, habitus charitatis non est vitalis in actu primo, nec liber, ergo actus ab illo solo procedens non potest esse vel vitalis, vel liber, cum quidquid habet actus, hauriat à suo principio. Antecedens probatur, habitus enim ille non potest se determinare pro libito ad operandum, vel non operandum, sed ad hoc eget concursu voluntatis, quæ est potentia libera, & quæ positis omnibus requisitis potest operari, vel non operari. Deinde, si habitus solus elicere & recipere possit actus vitales & liberos, esset voluntas, sicque in homine vel Angelo esset duplex voluntas, naturalis altera, altera supernaturalis.

Contrâ tertio, hinc sequeretur, si habitus charitatis conservaretur à Deo separatus ab animâ, & voluntate, sine omni subiecto, adhuc operaretur & produceret actus supernaturales charitatis, sicut calor separatus ab omni subiecto producit calorem. Patet sequela, nam non magis de facto in hac sententiâ concurret voluntas, vel anima cum habitu illo charitatis, quam tunc concurreret, cum nunc secundum hos auctores, cum eo non omnino concurrat. Dices, saltem nunc unitur habitus ille voluntati, tunc autem non uniretur. Contrâ, sola unio cum voluntate non sufficit, ut dicatur habitus ille operari liberè, sicut nec sola unio corporis cum animâ sufficit, ut propterea dicatur corpus propriè operari liberè, & velle aliquid aut intelligere.

Probatur tertio: dicere animam aut voluntatem physicè ad actus supernaturales Fidei, Spei, Charitatis, & similes non concurrere videtur contra Concilium Tridentinum sess. 6. can. 4. ubi sic habet, Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereq. passivè se habere, anathema sit. Ex quibus inferitur necessariò debere liberum arbitrium aliquid agere & verè ad actionem concurrere, nam alioqui merè passivè se haberet, & veluti quoddam inanime, ergo non solus habitus, sed ipsa etiam voluntas, seu liberum arbitrium operari debet, seu simul cooperari ad efficiendum actum charitatis.

Confirmatur, causa remota in tantum solum est causa effectus, in quantum concurret ad causam proximam, sed voluntas merè passivè concurret ad habitum illum supernaturalem qui est causa proxima actuum supernaturalium, ergo simpliciter voluntas in actibus supernaturalibus efficiendis merè se habet passivè, quod tamen videtur contra Concilium. Deinde, licet activè concurreret voluntas ad habi-

III. Angelus, & anima eliciunt varios actus supernaturales.

IV. Offenditur animam, & potentias concurrere immediate ad actus supernaturales.

V. Sequitur habitum charitatis conservari sine subiecto producturâ actum charitatis.

VI. Probatur potentia obedientialis ex Concilio Tridentino.

VII. Causa remota in tantum solum concurret ad causam proximam.

tus supernaturales, adhuc definit Concilium post excitationem & motionem Divinam non se habere voluntatem merè passivè, ergo debet physicè simul cum habitu supernaturali concurrere ad eliciendum actum supernaturalem.

VIII.
Aliud est
de volun-
tate, aliud
de habitu
superna-
turali.

Dices, anima censetur liberè operari, licet sola voluntas operetur; ergo & voluntas dici poterit operari, licet solus habitus actum eliciat. Contrà pri-

mò, nam antecedens fortè est falsum, de quo in li-bris de Anima. Contrà secundò, voluntas est potentia vitalis, & libera, ac proinde est aliqua saltem apparentia cur anima denominetur vitaliter & liberè operans per actum liberè à potentia liberè elicitum, hic autem habitus supernaturalis nihil in se habet vel vitalitatis, vel libertatis, sicque actus ab illo solo procedens nec esset vitalis, nec liber.

DISPUTATIO XXVII.

De potentia obedientiali lata, seu cuiusvis ad quodvis.

AD quodvis, inquam, ubi non est specialis repugnantia, ubi enim esset repugnantia vel implicatio, certum est non dari huiusmodi potentiam, cum dari nequeat ad impossibile. Prius verò quam ad res ullas in particulari descendamus, inquirendum num ex eo quòd nulla appareat in re aliqua implicantia, sufficiens fundamentum sit, ut quis prudenter asserat rem illam non implicare, non levis enim inter recentiores est hæc de re controversia.

SECTIO PRIMA.

An non-apparentia implicantie fundet assensum de rei possibilitate.

I.
Propo-
nitur status
questionis.

Prima sen-
tentia est
negativa.

DOCTI quidam recentiores, ut negent potentiam obedientialem latam, hanc consequentiam, non apparet implicantia cur musca eleveur ad creandum Angelum, ergo potest elevari ad eum creandum, ajunt non esse legitimam, nec ex illo antecedente posse quempiam prudenter inferre, posse muscam per elevationem assumi ad hunc effectum. Licet enim, inquiunt, implicantia illic non appareat, potest tamen esse, nullius enim tam perspicax est ingenium, quamvis doctus sit, & his in rebus versatus, ut omnia, quæ in re aliqua latent, discernat. Quare, negant in his circumstantiis prudenter judicatarum quemquam, vel posse muscam ad hunc effectum elevari, vel non posse, sed ajunt suspendendum esse judicium. Et ex hoc principio non admittunt potentiam obedientialem latam, ut vocant, quæ scilicet res quævis quilibet fermè efficiat.

II.
Secunda
affirma-
tiva.

III.

Non valet
semper hæc
consequen-
tia, Non
apparet
implican-
tia, ergo
res potest
esse.

IV.
Intellectus
hic judi-
cans sicut
cæcus de
coloribus.

Alijè contrà, sicut si revera nulla sit implicantia, res est possibilis, ita si nulla appareat, seu nihil absurdum, aut ridiculum, ajunt prudenter affirmari posse rem illam esse possibilem. Acris utrimque est disceptatio, quid in hac re sentiam, sequentibus conclusionibus declarabo.

Dico primò: universim loquendo, hæc consequentia non rectè semper deducitur, non apparet implicantia quominus res aliqua sit, vel esse possit, ergo est res illa, vel potest esse. Hanc conclusionem neminem existimo negaturum. Duplici verò ex capite fieri potest ut hæc consequentia non teneat, ex parte scilicet intellectus judicantis, & rei de qua fertur judicium. Sic si rusticus, aut ignarus aliquis re quampiam objectâ, statim eam vel possibilem esse pronuntiaret, vel impossibilem, haud dubiè imprudenter faceret, cum isthæc captum ejus superent: meritò proinde de eorum numero censendus esset, qui ad paucos resicientes definiunt.

Ex parte verò rei judicata: tunc contingit prudenter ferri judicium non posse, quando est planè improporionata: ita ut intellectus nihil omnino

inveniat, in quo figat pedem. Sic, imprudenter quis judicaverit astra vel paria esse, vel imparia, cum huic objecto oculos mentis habeamus clausos, & de hoc ferre judicium perinde est, ac si cæcum judicaret de coloribus, & quis hic existens judicare vellet qua parte ventus flet apud Antipodas.

Dico secundò: ex eo quòd non appareat implicantia, non potest quis (nisi fortè in rarissimo aliquo casu) certò affirmare rem illam non esse impossibilem. In hoc etiam puto non magnam fore inter auctores disensionem, ex eo enim quòd vir, etiam doctus, in re aliqua non videat implicantiam, non sequitur manifestè nullam illic implicantiam latere, nec ullum motiym habet ex quo hoc certò pronuntiet.

Quo sensa existimo loquutum esse P. Vasp. i. p. d. 75. c. 2. n. 11. illis verbis. *Observandum est, inquit, ut, asseveremus aliquid à Deo fieri posse, non semper satis esse, non apparere nobis contradictionem aliquam: siquidem re ipsa esse potest, etiam si nobis non appareat. Nisi malit quis cum explicare quòd velit, ut affirmemus aliquid Deo esse possibile, non semper sufficere quòd nobis non appareat implicantia, quia nimirum, licet nobis non appareat, habemus tamen auctoritatem aliquorum quòd illic sit aliqua implicantia. Et sanè his modis probabiliter videtur explicari posse: nostram verò sententiam clarissimè docet, ut paulò post videbimus.*

Hoc etiam probat locus ille scripturæ, Sap. 9. v. 14. *Cogitationes enim mortalium vanae, & incertæ: providentia nostræ, corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimis sensum multa cogitantem, & difficile estimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore, rursus cogitamus, & c.* si ergo eorum, quæ nobis ob oculos ponuntur, notitia sit incerta, id est, varijs erroribus intermixta, de ijs certè quæ sensum fugiunt, suntque per se abstrusissima, qualia sunt possibilitas & impossibilitas rerum, agrè cognitione scientificâ habere possumus.

Dico tertio: Si viro docto seriâ consideratione rem perpendenti, omnibusque quæ ad ejus impossibilitatem afferuntur sedulò discussis, nulla in ea appareat implicantia probabiliter & prudenter inferre poterit eam esse possibilem. Hanc existimo communem esse Theologorum & Philosophorum sententiam, qui tum demum probabiliter se rei alicujus possibilitatem ostendisse autumant, dum quæ contra eam opponuntur, solverint.

Primò ergo Sua. i. p. l. 2. c. 13. n. 10. postquam dixisset esse possibilem speciem impressam Dei: ratio, inquit, hujus assertionis est, quia nulla contradiçtionis implicatio, vel repugnantia in hoc invenitur & c. & l. i. de Angelis c. 15. n. 3. ubi disputans de possibilitate plurius Angelorum numero tantum distinctorum, sic habet: *Contentus ero brevi responsione fundamentorū, quia eo ipso quod ex parte rei non ostenditur, neque ostendè potest implicantia.*

V.

VI.

Explicitatur locus
quidam P.
Vasquez
hæc de re.

VII.

Hic locus
Sap. apertè
probat non
posse res
sciri
nec sci.

VIII.

Primaria
hæc in re
conclusio.

IX.

Probat
auctoritate
Theologorum.
P.
Suarez.